edit. Vossii epistol. no CCLXXXI.

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Cum nulli eorum, Nobilissime Hugeni, tuas qui
virtutes singulares suo sciant pretio aestimare,
cedere hac parte sim paratus: plurimum tamen
(cur diffitear?) vereor, ne interdum sic de me
cogites: O hominem rusticum, qui nec geminis literis
meis, tam amicis, ab tam longo tempore scriptis,
responderit hactenus! Hic si inter homines elegantiores
vivere sciret, non minutum quid ab studijs vel occu-
pationibus subsecaret, quo non avaris eius temporis
leviter saltem satisfaceret? Equidem si alius sic
mecum ageret, vir praestantissime, facile in has co-
gitationes venirem. Eo justius suspiciones tuas for-
mido. Quas minime extimescerem, si satis me tibi
notum arbitrarer. Nosses enim vitae hoc meae genus,
quod me, invitum licet, in hos quasi scopulos
crebro illidit, adeo ut mihi prope sollemne
sit peccare adversus omnes in epistolari hoc officio.
Tam multi mihi hactenus veniam dedere, ut fa-
cilem etiam mihi, apud hominem tam intelligentem,
veniam fore sperem. Neque alia nunc excusatione
utar. Quod labores nostros Grammaticos sic
praedicas, rem magis te dignam, quam meritis
nostris facis. Habent commentationes meae,
quod se jactent laudibus tuis. Non quidem eas
scripseram nudis ab eruditione. Sed vix sperare
ausus eram, eius doctrinae et loci hominem
se demissurum in haec Grammaticorum senticeta.
Et propterea diligentior fueram in annotandis
rerum fastigiis, quo doctiores ista saltem
lustrarent oculo fugitivo. Cogitabam meum
illud Bilbilici vatis:

Lemmata si quaeris cur sint adscripta, docebo.
Ut si malueris, lemmata sola legas.

Sed, ut video, opinione melius mihi apud
te labor hic processit. Atque idem de quibus-
dam alijs, summis viris, dissimulare non pos-
sum. Utinam de omnibus, etiam amantibus nostri,
dicere idem liceat. Nempe argumentum hoc
displicet. Nec diffitentur magnum illum Hippo-
nensem praesulem olim Grammaticen scripsisse.
Sciunt et togatorum doctissimum, et ipsum
Julium Caesarem, virum bellica laude tam il-
lustrem, de analogia libros reliquisse. Et
quicquid de Augusto, Claudio, ceteris affert,
sibi quoque probe perspectum aiunt. At negant
me ingravescente hac aetate, eaque de me hominum
exspe-

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1373

exspectatione ad minutias hasce, etsi non incuriose tractatas, descendere debuisse. Rem magis me dignam fore, magis etiam utilem Ecclesiae, si animo nullis affectibus mancipato eruere ~~ad~~ laborem antiquitates Ecclesiasticas, multis adhuc tenebris involutas. Et sane hoc studium fuit a prima adolescentia. Nec quicquam praeter temporum iniquitatem paullum inde abstraxit. Multa quoque in hoc genere vel confecta jam habeo, vel affecta. Eo maiori voluptate redeo nunc ad studia meliora: quae magis placitura credo, et tibi, et alijs itidem bonis. Gravioribus istis lassus fortasse iterum revertar ad Eruditionis sementim, ad nuces. Non tamen ex cicure reddar avis fera, ut domum redire obliviscar. Nisi fortasse ante me longus corripiat somnus. Quippe jam annum pulso sexagesimum, ut vitae non ita multum superesse videantur. Sed haec curae erunt imperatori summo: qui ubi e statione hac nostra avocabit, laeti ad meliores sedes avolabimus, pertaesi etiam ineptiarum, quibus sese et alios discruciat eruditulli nostri, nihilo saepe amantiores bonae mentis, quam infrunitum vulgus, cui facilius ignoscas. Pereant studia universa, si nos duntaxat gloriae praestant animalia, nec ad solidam pietatem ac prudentiam ducunt. Scio, te juxta meum sapere vir Nobilissime, eoque libentius hanc querimoniam apud te deposui, non quasi mihi hic quicquam seratur vel metatur: sed quia misereseat me ordinis nostri. sed de isto satis, ne in epistola hac videar velle rhetoricari. Vale Nobilissime Hugeni, una cum lectissima conjuge, ac familia universa. Amstelodami CIↃIↃCXXXVI. Idibus Aprilibus.

Addictissimus nomini tuo

Ger. Jo. Vossius.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1373

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1373

Nobiliſſimo viro, Conſtantino Huygens,
Equiti, Domino à Zuilichem,
Illuſtriſſimi Arauſionenſium Principi
à Conſiliis & ſecretis

Hagæ Comitis.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Vossius) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1373